

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1680

Auteur(s) : Raoul de Grosley [particulier]

Bénéficiaire(s) : Beaumont-le-Roger, Sainte-Trinité, dépendance Le Bec (prieuré)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1155, 14 juillet

Lieu d'émission : Beaumont-le-Roger

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Raoul de Grosley, du consentement de son fils Robert et Agnès, son épouse, et de son suzerain, Galeran de Meulan, donne sa terre de l'Épinay.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Deville Étienne, *Cartulaire de l'église de la Sainte-Trinité de Beaumont-le-Roger*, Paris, Champion, 1912, n° XXII, p. 27-28.

Texte établi d'après a

Quoniam que a mortalibus geruntur veloci hujus temporis cursu cito a memoria tolluntur a religiosis et sapientibus viris salubriter institutum est, ut quod in ecclesia geritur carte representatione posteris quasi recens habeatur. Notum igitur fieri volumus tam presentibus quam futuris, quod Radulfus de Grolai, consilio et assensu mei Gualeranni, comitis Mellanti et Roberti filii mei, et Agnetis, uxoris mee, et Symonis, filii predicti Radulfi de Grolai, et ceterorum hominum et amicorum suorum, dedit ecclesie sancte Trinitatis de Bellomonte et monachis Beccensibus in eadem ecclesia Deo servientibus, in perpetua elemosina, pro anima [sua] et parentum suorum, totam terram suam de Spineto, quam tenebat de me G. comite Mellenti. Quapropter ego comes G. dedi per manum Roberti prioris ejusdem ecclesie predicto Radulfo XXti libras carnotensis monete, que tunc currebat per meam terram. In ea vero terra non sibi retinuit Radulfus. Si monachi in predicta terra hospites instituerint ; molta eorum ibit ad molendinum predicti Radulfi. Si vero de eadem terra aliis hominibus locaverint, siccam moltam de eis accipiet. Omne autem dominium monachorum ubi eis placuerit quietum deferetur. Famuli vero monachorum in eadem terra manentes, vel in dominus monachorum siccam prebendam accipientes, ad molendinum predictum ibunt. Concessit eciam idem Radulfus et Symon, filius ejus, me presente et concedente, et Roberto filio meo, ecclesie Sancte Trinitatis unam carrucatum terre, quam Adeleis, amita sua, uxor Roberti de Vicaria et Symon, filius ejus, predicte ecclesie Sancte Trinitatis... In hac eciam terra predictus Radulfus moltam sibi retinuit sicut in supradicta. Has donationes ego Gualerannus, comes Mellenti, concedo et confirmo, et successoribus meis cum predicta ecclesia servandas et custodiendas committo. Actum est hoc publice II. Idus Julii in ecclesia Sancte Trinitatis anno ab incarnatione Domini M° C° L° V° me presente comite, et Roberto filio meo, astantibus eciam baronibus meis et hominibus. Willelmo videlicet de Pinu, Roberto de Formovilla ; Roberto de Retulis ; Willelmo de Baillleul.